



Codex diplomaticus Brandenburgensis

Sammlung der Urkunden, Chroniken und sonstigen Quellenschriften für
die Geschichte der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

Sammlung für allgemeine Landes- und kurfürstliche
Haus-Angelegenheiten

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1861

34. Markgraf Ludwig d. R. bietet dem Orden in Preußen seine Vermittlung
an, ihm den Frieden mit seinem Schwiegervater, dem Könige von Polen,
zu vermitteln (im Jahre 1356?).

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56615)

34. Markgraf Ludwig d. N. bietet dem Orden in Preußen seine Vermittlung an, ihm den Frieden mit seinem Schwiegervater, dem Könige von Polen, zu vermitteln (im Jahre 1356?).

Salutacione premissa benevolencie et amicicie quantum poterimus et favoris. Nuper cum de Civitate nostra Soldin iter arripuimus visitandi Excellentem Principem et dominum, dominum Kyzemirum Polonie regem, patrem socerum et dominum nostrum sincere karissimum, Ibidem ad nos venerunt Quatuor Commendatores vestri de ordine vestro proponentes nobis quosdam tractatus placitorum tangentes vos et ordinem vestrum supradictum, Quibus sane intellectis de eis viva voce et personaliter informavimus dictum Regem dominum nostrum quanto melius potuimus ipforum ipsi (?) plenarie refecantes, quid ad tractatus ipsos nobis multum benigne respondit sic quod omnibus et singulis que rationi consona fuerint velit esse contentus, ymmo in nos in meliori forma qua fieri poterit vult compromittere, dando nobis mandatum speciale et sufficiens ac auctoritatem et potestatem in omnibus causis inter ipsum et vos ac ordinem vestrum vertentibus vos mutuo amicabiliter concordandi et finem pacem et concordiam perpetuam et firmam omnium ipsius et vestrorum litium et causarum omnimode faciendi, et si vos vestro et ordinis vestri nomine id idem facere volueritis scilicet eciam in nos compromittendo ut supra dicitur, Extunc nos benevole et omni studio quo possumus nos de causa dicti domini nostri et vestra totaliter intromittere volumus, quod perpetuam pacem inter vos mutuo volumus facere domino concedente, materia discordie et rancoris inter vos inantea minime remanente, vnde litteraliter super premissis intencionem vestram petimus nobis scribi. Ceterum cum non lateat vos, inimicos crucifixi domini nostri iehsu christi terras predicti domini nostri Regis hostiliter crudeliter ferociter invasisse inibi effundentes multipliciter sanguinem christianum, qui infideles Sarraceni videlicet et Rutheni de die in diem in sua ferocitate confidentes procedunt fidem christianam quantum poterunt dilaniando, lacerando et penitus destruendo nisi remediis oportunis ipsis per fideles christi domini nostri celeriter obvietur; Quapropter concordavimus cum patre et domino nostro Rege predicto, quod in presenti estate unam Reysam et expeditionem estivalem facere volumus sine omni dubio cum omni potencia et fortitudine dicti domini nostri Regis, nostra et omnium amicorum nostrorum et vicinorum Principum et dominorum, quos ad ipsam Reysam trahere et exhortari poterimus quovismodo contra predictos infideles crucifixi ferocitatem ipforum armata manu dei adiutorio propellendo, Unde magnificenciam vestram de qua multum confidimus, requirimus et hortamur omni studio quo valemus et possumus, Quatenus eciam vos cum omni fortitudine vestra ad hoc disponere non tardetis, quod una cum Rege sepedicto et nobiscum intuitu et contemplacione divina et ob remuneracionem perpetuam omnipotentis dei domini nostri iehsu christi contra predictos infideles nobis succurrere non negetis, pro quo libencius eo omnibus diebus nostris vobis et vestro ordini assistere

volumus confilio auxilio et favore, et si quod Deus avertat sicut de vestra providencia non confidimus ipsum et nos contra infideles ipsos non iuveritis ista vice, ex certa sciencia tunc sumus experti, quod ad dilatacionem et exaltacionem christiane fidei intendere non proponitis ullo modo, de quo tamen vobis gravissime condolemus. Attamen si aliqui hospites, cuiuscunque status aut preeminencie extiterint, proposuerint intrare aut intraverint per terras nostras vos adiuvando in vestris necessitatibus, si aliquibus inantea perplexi fueritis et ista vice discuteritis aut contempseritis dictum dominum nostrum Regem et nos ad predictam Reysam et expedicionem firmiter adiuvare, si eos transeundo per terras nostras possemus in aliquo promovere nostris favoribus benevolenciis et dileccione speciali, hoc utique propter denegacionem vestri subsidii minime faceremus. Datum etc.

Lodwicus Romanus, dei gracia Brandenburgensis et Lusacie Marchio, necnon Comes etc., dominus Frislandie (?), Sacrique Romani Imperii archicamerarius, Comes Palatinus Rheni et Bavarie dux.

Aus Voigt's Cod. dipl. Pruss. III, 108.

35. Kostenrechnung Otto's von Dewitz wegen seiner Theilnahme an Zügen Herzog Albrechts von Mecklenburg in die Mark, im Jahre 1358.

Notandum, quod hec infra scripta dominus Otto de Dewetze, miles, conquistavit, excepit et consumpsit cum viris domini Magnopolensis et cum amicis suis et seruatoribus in seruitio domini ducis Magnopolensis in discordia ac guerra, quam ipse habuit cum comite Suerinensi.

Idem anno domini M^o. CCC^o. LVIII^o., ipso die dominico ante purificationis Marie virginis, primo dominus Otto a Gnoyen recessit in (terre) seruitium.

Item dominus Magnopolensis processit versus Straceborgh; cum illo equitavit Bode de Dewytze cum viris Magnopolensibus et cum suis amicis metdecimus armatus. Tunc dominus Magnopolensis retrorsum misit I nuncium ad dominum Ottonem, quod deberet sequi eum, et hoc fecit ita, quod sequebatur eum metdecimus, ita quod veniebant ad dominum Magnopolensem versus Straceborgh. Quum processit de Gnohen, processit versus Brandenborgh; ibi fuit per II noctes et consumpsit VI mr. lub. Quum veniebat versus Straceborgh, retrorsum misit I nuncium, qui sibi conduxit II currus; illi portauerunt sibi cerevisiam et panem; cuilibet currui dedit semper ad quamlibet septimanam II mr. lub.; illos habuit